



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XIII. Obiectiones Illyrici dissoluit, aut iam antè dissolutas demonstrat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

Addit Illyricus postremò , Apostolum Petrum presbytris mandasse , vt politicis gubernatoribus obtemperarent qui locus in neutra B. Petri epistola inuenitur. hæc enim sola de presbyteris verba leguntur apud Apostolum Petrum : Seniores ergo , qui in vobis sunt , obsecro consenior , & testis Christi passionum , qui & eius , quæ in futuro reuelanda est , gloriz communicato , pascite qui in vobis est gregem Dei , prouidentes non coacte , sed spontaneè secundum Deum : neque turpis lucri gratia , sed voluntariè : neque ut dominantes in cleris : sed forma facti gregis ex animo . & cùm apparuerit Princeps Pastorum , percipietis immarcescibilem gloria coronam . i. Petri 5. quæ verba non presbyteros magistratus politicis , sed magistratus potius , vt cæteros laicos , presbyteris subiiciunt.

## C A P V T XIII.

*Soluuntur , aut soluta demonstrantur argumenta Illyrici.*

**E**T s i ex iis quæ hactenus dicta sunt , profligata detur omnis controværsia , & argumenta omni , quæ ab aduersario adferebantur , dissoluta : quia tamen Illyricus in ipso primo capite sedecim obiectiones quasi totidem cohortes aut legiones produxit in ciem , quas non eodem ordine , sed prout se obtulit occasio variis in locis confecimus ; operæ pretium visum est , hoc loco singulas iterum inspicere , & vel locum annotare ubi soluta sunt , vel breuiter refellere , si qua forte adhuc restat , quæcumque attollere videatur. Ita igitur ille prefatur : Quod non sit facta per Papas Imperij translatio à Græcis ad Germanos , probatur sequentibus argumentis.

Primò , quia id asserunt probantque duo summi viri , idque non temerè , suoue arbitrio , sed ex vetustis historiis , nempe Nicolaus Cusanus Cardinalis , & Henricus Kalthausen , Archiepiscopus Nidrosiensis , & Papæ domesticus , qui ante centum annos mortui sunt , quorum testimonia in fine adiiciam . Non opinor duos istos tuos milites tam esse temerarios , ut audi-

audacter stare velint in acie aduersus nostros circiter quinquaginta, partim historicos, partim etiam summos Principes & Pontifices. Sed quid si demonstrare potuero, ne istos quidem, Illyrice, tibi fauere?

Nicolaus Cusanus, vir alioqui doctus & pius, iniuria temporum, tanta librorum veterum penuria laborauit, ut aperte dicat lib.3. Concordantiae Catholicæ cap.3. quem solum locum Illyricus citauit, in nullis historiis se reperiisse Carolum Magnum verum Imperatorem fuisse: proinde contendit Germanorum Imperium in Othonem I. ita coepisse, ut nullus prædecessorum eius inde usque ad Carolum Magnum Imperator fuerit. placetne tibi Illyrice, ut auctore Cusano, negemus etiam nos, Carolum, Ludouicum, Lotharium, & cæteros tam multos Imperatores fuisse? Deinde nullum omnino Historicum, neque priscum, neque recentem Cusanus nominatum citat, excepto Luitphrando Ticinensi. quid igitur tibi volebas cum dices, Cusanum non temerè, suo ue arbitrio, sed ex vestitis historiis sententiam suam munire? Ad hæc tuus ille Cusanus tota illa disputatione sua nihil molitur aliud, nisi Imperium non esse translatum à Græcis ad Francos Hadriani vel Stephani Romanorum Pontificum auctoritate; nam de Leone III. cui omnes historici veteres translationem hanc Imperij tribuunt, nihil omnino Cusanus dixit, ac Leonem III. nec nominauit quidem. quæ igitur est hæc noua Dialectica: Hadrianus & Stephanus Carolum Magnum, Patricium Romanorum, non Imperatorem & Augustum appellarunt: nemo igitur postea Roman. Pontifex eundem Carolum Imperatorem fecit.

Sed annotabo alium etiam insignem lapsum Cusani, ut Illyricus discat in aliis rebus magis, quam in historiis, fidem habendam esse Cusano. Scribit igitur Cusanus loco notato, in generali Concilio Basileensi I. anno M. L XI. Cadolum Parmensem à Legatis Romanis, communi omnium consilio electum Papam; Anselmum verò Lucensem à certis Romanis & Normannis item electum cathedram occupasse. At vnde ista Cusanus hauserit, ipse viderit. constat enim ex Lamberto Schaffnaburgensi, qui tum viuebat, Cadolum Parmensem non in Concilio generali, neque anno M. L XI. neque à

Legatis Romanis, sed ab Imperatore Henrico puer, & illis  
quot Principibus intrusum in sedem Apostolicam anno M.  
L XIII. contrà verò Anselmum, qui in Pontificatu Alexa-  
nder II. appellatus est, Romæ communi consensi Romano-  
rum electum, ac deinceps ab omni Ecclesia, & ab ipso etiam  
Imperatore Henrico, qui Cadolum elegerat, verum Christi  
Vicarium habitum. nec dissentiant ab historia Germanice  
Lamberti, Chronica Marianæ Scotti (qui etiam tunc videtur)  
Othonis Frisingensis, Sigeberti, Martini Poloni, & aliorum.  
Atque haec tenus de Cusano. De Henrico Kaltheisen nihil  
quod dicam. nam ipse etiam Illyricus cum aduertisset nihil  
in eo esse præsidij, nullum eius testimonium protulit. Perge-  
mus ad cætera.

*Secunda, inquit, ratio sit, quia Papa, testantibus idem  
rum propriis Iuribus, non sunt à Deo constituti Domini.*  
Vide solutionem capite præcedente, ubi totam hanc Illyricum  
argumentationem excussum.

*Tertio, quia ipse met Carolus iure, ac si belli occupauit  
centrale Imperium.* Vide solutionem cap. 7.

*Quarto, quia alij historici id factum Senatus populoq[ue]  
Romano tribunt, non Papa.* Vide solutionem cap. 10.

*Quinto, quia eam dignitatem habuit Carolus multiplex  
iure à suis maioribus iure gladij, & super ex concessione  
Constantinopolitanorum Imperatorum.* Vide solutionem ca-  
pite 7. & 10.

*Sexto, quia incertissima narrationes illius translationis  
eam vanitatis redargunt.* Respondeo, omnes probatos his-  
toricos summa consensione translationē factam literis man-  
dasse à Leone II anno D C C C. I. inchoante, ipso die Nata-  
lis Domini in Basilica S. Petri. testimonia suprà scripta sunt in  
cap. 3. nam Ioannem Andream, Vincentium Gallum, Anto-  
nium Rosellum, & Glossam decretalium, quos auctores inter-  
se dissidentes Illyricus citat, nihil moramur, quod illi & po-  
steriores sint, & in historiis parum omnino versati.

*Septimo, quia cuiusque indicium falsitatis istius transla-  
tions illud quoque est, quod Gratianus, qui diligenter meta-  
lia congregabit, nullam istius translationis Imperij mentionem  
facit, cum alioqui ambitiosè omnia Pontificum decora ostend-*

ter, imò amplificet, & si quid in Imperatores beneficij contulerint, predictet. Respondeo, Gratianum decreta & canones tum ex Pontificum epistolis, & Conciliorum definitionibus, tum ex libris sanctorum Patrum satis diligenter collegisse; de rebus gestis Pontificum & Imperatorum non laboras. Quare nemini mirum videri debere; cum de translatione Imperij nullum sit factum decretum, sed res tantum publicè gesta; si de ea re Gratianus mentionem non fecerit. Porro Gratianum ambitiosè ostentare atque amplificare omnia Pontificum decora, tam est à veritate alienum, quād quod maximè. Sed non miror Illyricum tam liberè mentiri de Gratiano. quoniam enim iam dudum apud Lutheranos Gratianus publico igni exustus fuit, existimauit Illyricus, saltē apud suos mendacia esse in tuto: quippe quæ codicibus iam sublatis detegi non possent.

Ostendo, cognatum huic est, quod Leo VIII. in restitutione aut recognitione priuilegiorum Othoni I. facta, cum concessio-  
nis, aut potius confessionis Adriani II. quæcum populo Ro-  
mano Carolo subiecerat, mentionem honorificam faciat, ni-  
bil prorsus, ne verbulo quidem unico, de translatione Imperij  
dicit, cum multo profecto istius huius tanta rei meminisse de-  
buisse. quarit enim in Veteribus actis fundamentum huius  
sua nouæ concessionis, aut largitionis, quod centuplo iustius  
posuisset in illa tam gloriosa Imperij translatione, si qua a Leo-  
ne facta fuisset. Et isti singunt, quād in Adriani sola patri-  
ciatus concessione, quare cum in illa tam seria solennique  
actione inter Leonem VIII. aut potius tot am eius Synodum, &  
Othonem I. nulla prorsus mentio fiat istius translationis, me-  
rum profecto figmentum esse liquido patet. Hac profecto eu-  
dentissima demonstratio est.

Multa sunt hoc loco Illyrici ornamenta numeranda, atq; admiranda: primùm insignis memoria, aut historiarum peri-  
cia, cùm Adriano II. tribuat, quod annis plus octoginta ante Adriani II. Pontificatum gestum esse constat. deinde non vulgare studium veritatis, cùm scribat Adriani confessionem exstare, quæcum populo Romano Carolo Magno subie-  
cerit; & ea confessio tamen nusquam exstet. nam apud Gra-  
tianum can. Adrianus. & can. In Synodo dist. 63. ad quæ loca

Illyricus respexit, legimus quidem concessum ab Adriano Carolo Regi ius eligendi Romanum Pontificem; at ius imperandi Pontifici, cum iudicandi, quod verè ac propriè ad subiectionem Pontificis pertinuisse, concessum non legimus. non est autem idem ius eligendi Pontificem, & ius Pontifici imperandi, alioqui etiam Cardinales Pontifici imperant, & Canonici Episcopo, & populus Regi, & Principes Imperatori; quod Pontifices à Cardinalibus, Episcopi à Canonicis, Reges à populis, & Imperatores à Principibus eleguntur. Tertiò cernimus in Illyrico egregiam Iuris cognitio-nem, qui id in Iure perspicere potuit, quod ibi nunquam fuit nam Leo VIII. (vt ex can. in Synodo, iam citato, intelligi posse) renouare voluit maiorum suorum decretum de electio-ne Pontificum, atque id Othoni I. concedere quod illi Carolo Magno concesserant, videlicet, ut ius esset Imperatori minandi tum ipsum Romanum Pontificem, tum etiam Episcopos cæteros. quoniam autem Carolo Magno Leo VIII nihil eiusmodi dederat, sed Adrianus I. cum Episcopis sui temporis id fecerat: propterea Leo VIII. exemplum sequi se dixit Adriani, in ea concesione; Leonis autem III. non meminit, quod eius mentio ad rem non pertineret. quod si in eo decreto Leo VIII. mentionem fecit patriciatus, quem Adrianus Carolo eodem tempore tribuit, id ea de causa fecit, quia simul, & iure electionum, & patricij dignitate Adrianus Carolum ornauerat. noluit enim ea separare quæ coniuncta erant, tametsi ad rem suam, aut solum, aut certè porissimum pertinueret concessio iuris Pontificis eligendi. Agnoscimus postremo nouam in Illyrico formam demonstrationum, cum hæc sit (illo auctore) euidentissima demonstratio: Leo VIII. in suo quodam decreto non dicit, Imperium translatum ad Francos, siue Germanos Romani Pontificis auctoritate: igitur merum figmentum esse liquet quidquid historici tradunt de illa translatione. ] Egregie omnino, quasi continuò debeat esse falsum quidquid Leo VIII. non dixit.

*Nono, qui a multi id factum adscribunt Senatu, populoque Romano; alijs ipsi Carolo, qui sibi id ultra sumpergit suarbitrio, ac iure, &c. Sed hæc est mera repetitio tertij & quarti argumenti.*

Decimi

Decimo, quid impudentius, aut vanius fingi potest, quam  
Papam, aut plebem Romanam, potuisse, vel etiam auctor esse  
transferre, aut donare cuiquam supradicte Imperium, qui tam  
dandum amissa libertate, iurata mancipia Imperatorum erant:  
ipsimet Carolo iam amplius Viginti annis ante a sub Adriano  
omnem potestatem Imperatorum Constantinopolitanorum in  
Romanam, Italiam, & Papas ipsos (quam ipse alioqui armis ac-  
quisierat) Pontifex, ac Romani, integrarum Synodus, adhibitis  
etiam iuramentis, & Anathematibus consenserant, eiusque se-  
ses subditos, & veluti mancipia recognoverant, aut confessi  
fuerant, ut id ipsum proprium eorum ius, dist. 63. & omnes hi-  
storia testantur.] Diximus de hac re satis multa in secundo ca-  
pite: veruntamen nihil obrem hinc adscribere quidquid habe-  
tur apud Gratianum dist. 63. ut Illyrici mendacia eo teste de-  
tegantur, quem ipse pro se protulit. sic igitur loquitur Gra-  
tianus: Hadrianus Papa Romam venire Carolum Regem ad  
defendendas res Ecclesiae postulauit. Carolus vero Romam  
veniens, Papam obsedit; ibique relictio exercitu, in sancta Re-  
surrectione ab Hadriano Papa honorifice susceptus est. post  
sanctam Resurrectionem reuersus Papam, cepit Desiderium  
Regem. deinde Romam reuersus, constituit ibi Synodum cum  
Hadriano Papa in Patriarchatu Lateranensi, in Ecclesia sancti  
Saluatoris: quae Synodus celebrata est anno 153. Episcopis, Rel-  
igiosis, & Abbatibus. Hadrianus autem Papa cum vniuersa  
Synodo tradiderunt Carolo ius & potestatem eligendi Pon-  
tificem, & ordinandi Apostolicam Sedem: dignitatem quo-  
que patriciatus ei concederunt. insuper Archiepiscopos & E-  
piscopos per singulas prouincias ab eo inuestituram accipere  
definiuit, ut, nisi a Rege laudetur, & inuestiatur Episcopus, a  
nemine consecretur: & quicunque contra hoc decretum age-  
ret, anathematis vinculo eum innodauit: & nisi resipisceret,  
bona eius publicari precepit.] Hæc Gratianus. quæ ad ver-  
bum reperiuntur etiam apud Sigebertum in Chronico anno  
DCC.LXXIII. cæteri autem Historici veteres Rhegino, Ado,  
Otho Frisingensis, Lambertus Schaffnaburgensis, Maria-  
nus Scotus, & Abbas Urspergensis in Chronico eiusdem an-  
ni, & sequentium, nihil omnino hac de re scripsierunt.

Dicat igitur nobis Illyricus, ubi sit in verbis Gratiani &

cccc 5

Histo-

Historicorum, datam esse Carolo ab Adriano omnem testatem Imperatoris Constantinopolitani; item datum de Carolo Imperium in Romanos Pontifices; item adhibitorum iurandum quo Papa subiiceretur Regi; item agnouisse & confessos esse Pontifices se Caroli esse mancipia. nihil certe horum legitur nec in Gratiano, nec in vlo scriptore proinde necesse est Illyrici esse mendacia.

Deinde quo pacto non secum ipse pugnasset Adriani se Regis mancipium agnouisset, & tamen eidem dignitatem patriciatus, & ius eligendi Pontifices concessisset: nisi forte illius temporis mancipia ea praedita auctoritate erant, ut etiam patricios facere, & Reges ipsos nouis dignitatibus auger possent. quid quod Regino in Chronico anni DCC LXXXVII. scribit, Carolum Regem & patritum subditum Hadriani Pontificis agnouisse? Rex autem (inquit Regino) ad postulata respondit, se per multa tempora quæsuisse, sed minimè obtinere potuisse: ne tamen inobediens videret esse monitis Apostolicis, asseruit se in eiusdem Papæ præfatione, cum eisdem missis pacem velle firmare. Undecima: Testatur quoque omnes Historicæ, etiam q̄ qui Papis sunt additissimi, Leonem Papam, mox & electus fuit in Papam, missus ad Carolum Magnum legationem & nā cum clavis sancti Petri, quod est Papale insigne, & Sexillis Vrbis Roma cum aquilis: petiisseq; iuxta Synodus Hadriani confirmationem suu. Et alius mitteretur, qui Romanos Carolo denuo; iumento adstringeret quod fuit extrema subiectionis indicium, quare etiam paulo post orto dissidio inter Papam & Romanos, tum ipse Papa ad Cesarem & suum superiorum confugit, tum & Romani eodem suos accusatores miserunt, & sic strigunt testati eum esse suum legitimum iudicem ac dominum, quam fæda ergo tandem est ista vanitas, quod Papista fingunt illos seruos, aut mancipia Caroli Imperium Romanum in Carolum transtulisse, eumq; sibi & Gasallum quendam defendo obligasse; & nunc arctissimis iuramentis Cesares strigunt, & etiam ad turpissima pedum oscula adignerunt. Non satis scio quid in hac obiectione magis admirer, impunitiam, an impudentiam. Claves sancti Petri à Leone ad Carolum missas, doctus Illyricus Papale insigne interpretatur,

quæ

quasi Pontifex Leo Pontificatum suum Carolo Magno , vel dono dederit, vel certè subiecerit. At claves illæ nihil erant aliud, nisi thecæ quædam preciosæ , quibus reliquiarum fragmenta seruabantur. Solebant enim Pontifices, cùm summo aliquem munere afficere voluissent, rasuram catenarū sancti Petri, aut aliquid aliud generis eiusdem , clauicula aurea vel argentea inclusum mittere. Audi sanctum Gregorium in epist. 23. libri sexti ad Theotistum & Andream : Præterea, inquit, benedictionem sancti Petri Apostoli, clavem à sacratissimo eius corpore transmisi. Et in epist. 126. libri septimi ad Rhecharedum Regem Visigothorum ; Clavim, inquit, parvulam à sacratissimo B. Petri Apostoli corpore pro eius benedictione træsimisimus , in qua inest ferrum de catheris eius inclusum ; ut quod collum illius ad martyrium ligauerat, vestrum ab omnibus peccatis soluat. Crucem quoque dedi latori præsentium vobis offerendam , in qua lignum Dominicæ crucis inest , & capilli B. Ioannis Baptiste : ex qua semper solarium nostri Salvatoris , per intercessionem præcursoris eius, habeatis. Talem igitur clavem non insigne Papale, sed religiosum munus Christianissimo Principi summus Pontifex misit. nā idcirco Regino in Chronico anni DCC. XCVI. Ado Viennensis in Chronico sexta ætate, & Abbas Vrspergensis item in Chronico eiusdem anni, has ipsas claves , confessionis sancti Petri, id est, sepulchri, claves appellant, & prō munere missas à Leone ad Carolum scribunt. qui etiam autores in Chronico anni DCCC. simile quoddam donum ab Episcopo Hierosolymæ ad eundē Carolum transmissum his verbis tradunt: *Eadem die Zacharias pater cum duabus monachis, uno de monte Oliveti, altero de Bethlehem, Romam venit, quos Episcopus Hierosolymorum ad Regem direxit, qui benedictionis causa claves sepulchri Domini, ac loci Calvarie, claves etiam ciuitatis cum vexillo detulerunt. hæc illi. Nec sanè dubitari vlla ratione potest, quin fuerint omnia illa religiosa munuscula, non insignia dignitatū: quare Paulus Æmilius in vita Caroli, pia magis q̄ magnifica munera esse dixit.*

Quod secundo loco addit Illyricus, postulasse Leonem, ut à Carolo mitterentur, qui Romanos eidem Carolo iuramento adstringerent, iam suprà discussum est in primo capite, vbi

ex

ex ipso Illyrico demonstrauimus, Leonem à Carolo postulasse, qui Romanos iureiurando adstringerent, non Carolo sed Leoni. & sanè ratio erat magna, cur nouo Pontifici Leonino-um sacramētum populus præstaret; cur autem Carolo præstaret, nulla erat. Quæ cùm ita sint; euanuit (credo) iam illud extremæ subiectionis indicium, quod ex missis clauibus, & Legatis postulatis, qui ad iurandum Romanos adigerent, Illyricus fabricauerat.

*[At, inquit, dissidio inter Papam & Romanos exerto, sive Carolum dominum ac iudicem appellaverunt.] Nusquam illa nomina legi, iudicis, & domini. res autem gesta narratio Othoni Frisingensi lib. 5. cap. 30. his verbis:*

*Anno ab incarnatione Domini DCC. XCIX. Leo Papa Adriano successerat, in Litania maiore à Romanis flagitissimè, ita ut oculi eius eruti & siderentur, tractatur: qui ad gem Carolum veniens, euentum rerum deplorat. Igitur Carolus Victoriosissimus, qui iam subiugatis sibi Baiuariis, Aquitanis, Saxonibus, Danis, Normannis, Britannis, Pannoniis, multisq; aliiis prouinciis, regnum Francorum plurimum dilatauerat, dignus qui altius prouocheretur, Papam culturum ad Vrbem iudebat: cui pridie quam Vrbem intraret, Leo ad decimum lapidem occurrit, eumq; honorifice suscepit. manifesto, Vrbem ingressus, à Pontifice ac cuncto populo suscepit, in Ecclesiam B. Petri inducitur. post, septem diebus transalp. Rex concione facta, causam aduentus sui exponit. Leo quoque cui amuli fut magnum crimen imposuerant, nemine cogente, ex bona conscientia de obiecto criminis coram omnibus supra sacrosancta Euangelia se purgavit. hæc ille ex qua narratione discimus, Carolum Romam venisse, non vt Pontificem iudicaret, sed vt iniuriam illi factam vlcisceret; & Leonem Pontificem nō ab aliquo iudicatum, sed à se ipso, nemine cogente, iureiurando purgatum. nec dissentient Historici ceteri; sed Regino, atque Abbas illud etiam addūt, Pontificem ad Carolum venientem summo cum honore ab eodem Carolo suscepit; quod vitrum vilissimis mancipiis satis conueniat (quales fuisse eo tempore summos Pontifices mentitur Illyricus) Illyricus ipse iudex esto.*

Iam verò quod in postremis verbis Illyricus habet, adiungi

nunc à Pontificibus Imperatores ad iusurandum, & oscula pedum, Otho Magnus, & Fridericus I. (vt alios prætermittā) nobis etiam tacentibus satis refellunt. siquidem ille Ioanni XII. Pontifici iusurandi sacramentum, antequam Vrbem ingredereretur, à nemine coactus, nisi ab ipso iure & æquitate, præstit; quod exstat adhuc apud Gratianum can. Tibi Dominu Ioanni. dist. 63. iste autem (vt capite superiore ex Krantio & Radeuico demonstrauimus) Hadrianum IV. humi prostratus sponte sua veneratus est, & Victori IV. quem ipse Pontificem in Schismate quodammodo fecerat, nemine cogente pedes osculari coram vniuersa Ecclesia non erubuit. Sed de hac obiectione satis multà dicta sunt. pergamus ad cæteras.

*Duodecimo ipsa vox Translatio eos evidenter mendacij redarguit. nā si transfulerunt Imperium à Græcis ad Francos; sequitur Gracos esse planè priuatos Imperiali dignitate.] & infra: Decretalis, solita, clare Constantinopolitanum Regem vocat Imperatorem Romanorum.] At hæc obiectione nulla est. non enim Imperium vniuersum, sed Occidētale solum translatum esse dicimus à Græcis ad Francos. Græci siquidem cùm Gothos, Belisario & Narsete ducibus, Italia exegissent, Occidentale Imperium Orientali iterum adiunixerunt: postea vero quā à Leone Pontifice Carolus Magnus Occidentalis Imperij iure donatus est; Græcus Imperator Occidentali Imperio caruit, Orientale retinuit. atque ex eo tempore Augusti duo pari potestate Romanum Imperium tenuerunt.*

*Decimotertio, quacunque omnino parte, aut quasi lacinia quis istam narrationē translationis Imperij apprehendit, mox liquido animaduertit esse vanissimum mendacium fingunt enim illi Carolum ignorasse Papæ consilium, &c.*

Ista verò est noua forma Syllogismi, constat enim tota argumentatio ex tribus manifestissimis crassissimisque mendacibus, quæ sunt à nobis suprà capite secundo notata, & refutata, vide igitur cap. 2. Mendacia 15. & 16.

*Decimoquinto (nam decimum quartum præfestatione Illyrico excidisse videatur, nisi forte sit error in numeris) Quis (inquit) dubitat, si Papa, ac Romani spōtē, suoq; arbitrio Imperium à Græcis in Francos transferre tunc potuisse, voluisse, eos certis firmisq; pallionibus ac cōditionibus cum Carolo*

solo acturos fuisse, quibus tum sibi, tu etiam aliis regionis,  
 & hominibus cauissent de certa quadam libertate, &c.] An  
 turidiculus non es, Illyrice, cum pactum de libertate geren-  
 da commemoras, vbi de Imperatore ac domino constitu-  
 do agitur? quibus enim, quæso, iste Cæsar imperabit, si omnes  
 homines, ac regiones quæ ad illius Imperium pertinent, sibi  
 diligenter de libertate conseruanda caueant? Sed nimum  
magistrum tuum sequutus es Lutherum, qui in libro de ioris  
monasticis iubet monachos futuros hac forma verhommu-  
 ri, cum Deo sua vota nuncupant: Voueo paupertatem, cali-  
 tatem, & obedientiam usque ad mortem libere, id est, ut mo-  
 tare possim quando volo, nec unquam ea vota teneat obli-  
 uare. Audi igitur, Illyrice: si pacta nulla inter Leonem & Ca-  
 rolum intercessissent, mirum videri certè non deberet: dale-  
 tur enim Imperium virtutibus Caroli, dabatur meritis eius  
 nec non patris & avi, quæ multa & magna in Ecclesiam Ro-  
 manam exstabant. veruntamen accesserunt etiam pacta, non  
 quidem, ut tu dicis, de libertate gentium & popolorum con-  
 seruanda, sed de Ecclesia vniuersa, ac potissimum de Apo-  
 lica Sede perpetuò defendenda. est enim Imperator Romanus  
 (ut iura paullum loquuntur) proprius Ecclesiæ Catholicæ, qui  
 præcipius aduocatus. Porrò continetur hoc pactum tum in  
 eo sacramento quod Reges Romanorum Pontifici Romano  
 præstare solent cum ad coronam accipiendam veniunt: tum  
 etiam in ipsa voce translationis Imperij: idcirco enim nouum  
 Imperium erectum, sed antiquum translatum ad Germanos  
 dicitur, ut meminerint Germani Imperatores, non mo-  
 dò ius & potestatem imperandi, sed etiam curam & solici-  
 dinem Ecclesiæ tuendæ, Constantini, Theodosij, Mariani,  
 Iustini, Tiberij, aliorumque veterum ac piorum Cæsarum ad  
 se translatam. quæ etiam causa est, ut aliquando Romani Pon-  
 tifices certos Imperatores & Ecclesiæ communione, & Impe-  
 rij dignitate priuarint; quod videlicet aduersus inita & iurata  
 pacta, non se illi aduocatos, sed hostes Ecclesiæ præstiterint.  
 sed de his satis.

Decimo sexto. Verum, inquit, ut hisce quoque argumen-  
 tationibus, sententiæque finem imponamus, hoc vnu quæro  
 à Pontificiis seductoribus: cum constet Carolum amplius vi-  
 gini

ginti annis ante illam Leoninam ( penè dixissim vulpinam )  
Papæ coronatione totum Occidentale Imperium occupa-  
se, & tenuisse; hoc, inquam, quæro, num iure occupauit, & te-  
nuit, fuitq; legitimus eius Monarchæ possessor? In iustè eum  
occupasse, ac tenuisse, non audebunt ( credo ) dicere. Si verò  
iustè occupauit, ac tenuit totum Occidentale Imperium tot  
annis ante Papatum Leonis; quomodo potuit Leo Imperium  
Romanum in eum transtulisse, aut quid tandem ei adiecit? ]  
Sed hæc obiectio soluta est in sexto capite, vbi ostendimus,  
Carolum Magnum ante Leonis III. Pontificatum, iusto bel-  
lo occupasse, ac tenuisse, non quidem vniuersum ( vt Illyricus  
dicit) Occidentis Imperium ( nec enim Hispaniam, Africam,  
Illyricum, Britanniam, Apuliam, Calabriam, Siciliam, alias-  
que nonnullas Occidentalis Imperij prouincias eo tempore  
Carolus occupauerat) sed magnam tamen eius partem, id est,  
Galliam, Germaniam, Pannoniam, atque Italiæ partem quâ-  
dam. cæterum ea ipsa loca non iure Cæsarî, sed partim iure  
regio, partim iure patricio Carolum possedisce. Id igitur Im-  
perij translatio effecit, vt Carolus Magnus illa ipsa quæ iam  
habebat, non tantum vt Rex, aut Patricius, sed vt verus Impe-  
tator & Augustus retineret: vtque ius haberet ad alias item  
prouincias, quas Occidentalis Imperij fuisset, atq; iniuriâ ab  
aliis occupatas esse constaret: vt denique nominibus, titulis,  
honoribus omnibus veterum Cæsarum vteretur, atq; eo no-  
mine oës alios Reges, ac Principes, tum ipse, tum eius succe-  
sores, ac posteri anteirent, etiam si aliquando contingenteret, vt  
essent alij Christiani Reges, ipso Cæsare longè posteriores.  
Ac ne id parum fortasse Illyrico videatur, reuocet ad memo-  
riam quæ de Zenone & Theodorico ipse scripsit. non modò  
enim affirmauit, sed etiâ multis testibus afferere conatus est,  
Theodoricū Gothum, Zenonis Imperatoris beneficio, Oc-  
cidentale Imperium accepisse. cui si nunc obiiciamus, Theo-  
doricū ne vno quidem milite aut obolo à Zenone adiutum,  
sua tantum, ac suorum virtute, multis exantlatis laboribus,  
multoq; sanguine effuso Italiæ possessionē adeptum; nihil  
aliud inueniet quod respondeat, nisi ideo verè Theodoricū  
à Zenone Imperium ( vel Regnum potius Italiæ ) accepisse, q;  
ab eo, ius, titulu, dignitatem, ac potestate regiam accepisset.

LIBER